IOANNIS BOTERI
BENENSIS,

De morte Ill.mi ac Reu.mi D. Cardinalis S. Praxedis,

EPISTOLA

Ad Illuſtriſsimum, ac Reuerendiſsimum D. Andream Cardinalem Bathorium.

AB AVCTORE RECOGNITA.

Cum Superiorum licentia.




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MEDIOLANI,

Ex Typographia Michaelis Tini. M. D. LXXXIIII.

IOANNIS BOTERI
BENENSIS.
De morte Ill.mi ac Rev.mi D. Cardinalis
S. Praxedis,
EPISTOLA
Ad Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Andream Cardinalem Bathorium
AB AVCTORE RECOGNITA.
Cum Superiorum licentia.



MEDIOLANI
[illegible]

Illuſtriſs.me ac Reuerendiſs.me Domine mihi omni obſeruantia colende.

ET ſi is eſt animi mei dolor, vel potius mæror, ac luctus, vix vt mihi verba ſuppetant ad res quotidianas explicandas; nedum ad hanc tantam huius Eccleſiæ, vel potius vniuerſi orbis Chriſtiani calamitatem, quam in morte ſapientiſſimi ac religioſiſſimi Cardinalis Sanctæ Praxedis, Domini mei benigniſſimi, accepit: facere tamē non poſſum, pro mea erga Illuſtriſs. A.V. obſeruantia, quin rem totam ipſi quam breuiſſime perſcribam. Neque enim obſcura eſt vel Illuſtriſſimæ A. V. erga eum ſanctiſſimum virum pietas; vel eius erga ipſam caritas planè eximia atque ſingularis.

Diſceſſerat Mediolano 14. Calen. Octobris, hora noctis ſeptima, vt Epiſcopo Nouarienſi, animam agenti adeſſet: ſed ille hora tertia iam è vita exceſſerat, quod vnum potuit, funeris iuſta perſoluit. Inde Vercellas, eam vt Eccleſiam, Pontificis Maximi iuſſu, viſitaret, contendit. ibi aliquot moratus dies, Taurinum, Sereniſsimi Ducis Allobrogum inuitatu, ſeſe contulit. præter alia ſummæ pietatis ac religionis documenta, quibus Principem illum, ſapientiæ, religionis, animique magnitudinis laude præſtantem, eamque ciuitatem ſpiritaliter ædificauit, ſacram ſyndonem ſacro Ieſu Chriſti ſanguine imbutam, vulnerumque ſtigmatibus quaſi exaratam, religioſiſsime adorauit: populoque, qui frequentiſsimus conuenerat, explicauit, atque oſtendit. Inde Varallum, quo iam inde cum hinc diſceſsit, animum intenderat, profectus eſt. Varallum eſt mons agri Nouarienſis, qui multa habet loca Iudææ locis, quæ ſunt aliquo Chriſti facto nobilitata, conſimilia. Quæ res occaſionem attulit pijs quibuſdam viris ſacella quædam, certis locis, ædificandi, quibus ſacra illa Iudææ loca ſpecie quadam, ante oculos ſtatui viderentur. alibi enim locus, vbi Chriſtus ortus, alibi, vbi cruci affixus, alibi vbi ſepultus, aut aliud quid geſsit, cum magno quodam ſenſu pietatis, repræſentatur. ſpecies eſt omnino eorum locorum, & ad Chriſti vitam mortemque recolendam, & ad animos permouendos, accommodata. His in locis ſanctiſsimus

Ille vit circiter tredecim dies, in perpetuis vigilijs,Ieiunijs , meditatio-
nibus,vitæq; aſperitatibus,verſatus eſt.Nam dimiſſo,ad tempus, famu-
latu,ſolus totam ferè noctem,illis in ſacellis laternulam manu geſtans,
conſumebat. cum ipſa vero familia quinqne circiter horas,partim an-
te lucem partim ſub veſperam,in oratione perſeuerabat,inter alia, etiá
generale quadam confeſsione,peccata ſua dolenter admodum,& cum
multis lachrymis expiauit . Cum veró ad Illuſtriſsimum Cardinalem
Vercellenſem,qui eum Aronę expectabar,proficiſci decreuiſſet,pridie
eius diei,familia aduocata,conandum eſt inquit . nobis aliquid maius,
quam ſoliti ſumus. itaque,nocte inſequenti,totas octo oras in oratione
ſupplex poſuit.Quo quidem tempore , nullla vnquam re nixus eſt , vt
corpus quanqum diuturna inedia incredibiliter debilitatum , atque
afflictum,regeret,atque ſuſtinerer,ſed recto ſemper pectore,& conten
ta ceruice,& totius corporis ſtatu penè immobili,cum omnium admi-
ratione,permanſit.Erat ei cibus panis, potus aqua , lectus aſſeres, ſom-
nus,ſupra omnem fidem,breuis ſermo fere nullus , omnibus animi,at-
que etiam corporis viribus enitebatur,implere ea, qnæ deerant paſsio-
num Chriſti in carne ſua.adeo nihil ſenſibus indulgebat,vt vix ſatis na
turæ neceſsitatis faceret.

Ea tam longa oratione confecta,Aronam aſperrimis atque impedi-
tiſsimis itineribus profectus eſt. ibi tres dies, cũ Illuſtriſs. Card. Ver-
cellenſi poſuit : à digreſſus , Varallum rediit. credibile eſt ipſum hac
ranta corporis extenuatuſsimi iactatione, & labore itineris montoſi , in
febrim incidiſſe,qnam tamen , ne inſtitutas ſpiritus exercitationes in-
termittere cogeretur, (quod alias ſæpe fecerat) diſsimulauit . Sed non
ita multo poſt , quàm Varallum reuertit, ſtomaco languente,& cibum
faſtidiente , tegere , & diſsimulare non potuit ; & vt familia ſatisfa-
ceret, panem minutatim conciſum , magnarum deliciarum loco,ſine
vlla tamen conditione,ac ne oleo quidem,aut butiro,ſibi coqui,atque
apponi iuſsit. famuli etiam panem aduſtum , vinoque aſperſum appo-
ſuerunt;cuius exiguam partem voluntatis potius conatu , quam ap-
petitus comedit.quinque in eo ſtatu dies moratns eſt,quibus neque ſa-
crum facere,neque cæleſtem panem accedentibus miniſtrare , neqne
orare , neque ſacrarum litterarum commẽtationi operam dare vn-
quam deſtitit. per id tempus paleam ſibi dormitaturo ſubſterni , fami-
liæ rogatu, confeſſarijque iuſſu, permiſit.quinto Cal. Octobris Varallo
diſceſsit, eademque die Aronam , magno labore peruenit ; inde Aſco-

nam

nam (quod oppidum Heluetiorum ditionis eſt) ad Collegium quoddam puerorum,ibi inſtitutum, ipſique à Pontifice Maximo commendatum,per Verbanum lacum,nocte conſequenti,aduerſo vento,contẽdit.Aſcona abeſt mille paſsibus Locarnum oppidũ,quod tunc grauiſſima peſtilentia conflictabatur.Id totum iter litanijs dicendis, ſacris orationibus recitandis ſpiritalibns collocutionibus, mira varietate,ſerendis, conſumpſit. Ipſos etiam nautas admirabili ſtudio docere inſtituit Chriſtianæ pietatis rudimenta. Aſconæ quibuſdã rebus adminiſtratis, ea die Locarnum ad cœmiterium conſecrandum,quia ſacræ ſepulturæ locum morientium multitudini anguſtum eſſe audiuerat,proficiſci cogitabat. Sed incepto deſtitit,quia mythram Aronæ reliquerat. ſolebat enim eiuſmodi officia,maxima cæremonia apparatuque, præſtare. Itaque Aronam verſus inde diſceſſit: ſed in medio ferè curſu nauigationis,morbo ingraueſcente,enmque vehemẽter affligente,Canobij ſubſiſtere coactus eſt: inde Aronam, peruenit. tum verò grauiſſime infirmatns,in lecto paululum decubuit, Medicum aduocauit, & cum eo pauca loquutus,iurulentum cibum, cũ duobus ouis,cæpit. pridie Cal. Nouembris Aronæ ſubſedit.

Cal. Nouẽb. tertianæ febri continua acceſſit. quarto Non. Mediolanum partim cimba,partim lectica vectus, peruenit. Hic Illuſtriſſimos viros,Annibalem ab Altemps,cognatum ſuũ, & Fabritium a Corregio,qui tum in ipſius ædibus hoſpitabantur, officioſiſſime cõplexus, pauciſque alloquutus,primum in ſacellum vt,de more, oraret, deinde cubitum ſe recepit. ibi duobus Medicis adhibitis, valetudinis ſuæ ſtatũ paulo fuſius expoſuit tum ptiſanam comedit, ea nocte paululum quieuiſſe viſus eſt. ſequenti die,religioſos aliquot viros,quibus multum tribuebat,acciri, ſibique adeſſe iuſſit. in ijs fuit Pater Panicarola, quem inter loquendum aſpicere iuſſit tabulam,quã ob oculos habebat. erat in ea Chriſti ſepultura imago. cum ille, illato lumine, diſpexiſſet, ſubiecit; ſe,dum morbo cõflictaretur,nuſquam habere maiorem conſolationem, quam in ſacri ſepulchri meditatione, ægrè admodum ab eo impetratum eſt, ne canonicas horas recitaret, recitari tamen ſibi omnino uoluit,& mane quidem Medici, alioquin præſtantiſſimi vrina inſpecta, & venarum motu explorato, morbi, magnitudinem penitus comprehendere non potuerunt, magnaque difficultate effectum eſt,ne ſomno penitus ſuccũberet. nam ne interdum conniueret, licet ipſe magna contentione niteretur, effici non potuit. a prandio,

cum

cum Medici rediįſſent, mortis imminentis euidentibus ſignis animad-uerſis, eius incolumitati plane deſperarunt. tum vero, ijs qui aſſidebāt, vehementiſſime perturbatis, & in lachrymas ſolutis, magna rerum conuerſio facta eſt. Nulla ergo interpoſita mora, cæleſtis viatici, atque extremæ vnctionis Sacramenta religioſiſſime, & petiit, & ſuſcepit, tū vox eum ſenſim defecit, & tres circiter horas, cum morte luctatus, nullo tamen, quantum iudicari poterat ferè doloris ſenſu, nullo vel oculorum obtutu, vel corporis motu minus decoro animam Deo placidiſſime reddidit. morienti cilicium, cinere aſperſum, ita enim ſanctiſſimorum Epiſcoporum exemplum ſequutus iuſſerat, impoſitum eſt. Dū lauationis cauſa, eius cadauer ſpoliaretur, detecta facile eſt eius vitæ aſperitas. Nam ſcapulæ erant verberum, quibus ſe cædebat, veſtigiis impreſſæ, & cilicij, quod geſtabat, aſperitate notatæ, apparebat etiam ſclopetti, quo percuſſus, ante aliquot annos fuerat, ictus impreſſio, cum vero exenteraretur, lien, & iecur corrupta & tabida inuenta ſunt, cor verò prægrande, & integrum; itemque pulmones, adeps autem nullus. neque alia penè re conſtare videbatur, præter quam oſſibus, & cute admodum firmat.

Vbi primum de eius ſalute dubitari ceptum eſt, non facile dixerim, quantus vniuerſam ciuitatem veluti ſtupor, deinde mæror oppreſſerit aduolant repente ad ædes Archiepiſcopales, magnaque difficultate, per nobiliſſimos viros, qui ad ianuam ſtabant, retardati, repulſiq; ſunt, partim ex ædibus ſe in vias eijcere; partim e feneſtris de ipſius ſtatu percuntari. piæ ſodalitates, licet multa iam nox eſſet ad templa procedere, pſalmos hymnoſque decantare, preces lachrymis miſtas, ante aras fundere flagellis ſeſe cedere, pupilli tutorem, viduæ patronum, omnes optimum parentem, atque Paſtorem ſibi periįſſe clamitare. cadauer antequam ſepulturæ mandaretur, tres totos dies in ſacello, quod in Archiepiſcopatu ipſe condiderat, depoſitum manſit. quantus, & quā perpetuus populi concurſus fuerit; quanta, & quam religioſa veneratio, neque ego facile explicare poſſim, & Illuſtriſſimæ A. V. æſtimare non magni negotii eſt. Nulla enim earum rerum prætermiſſa eſt, quæ ad ſanctiſſimorum virorum reliquias honorandas, fieri ſolent.

Septimo idus Nouembris ſepultus eſt. cum primum ex his ædibus cadauer efferri cæpit, tantus gemitus, & clamor, tanta mulierum comploratio, virorum lamentatio, tantus omnis ætatis atque ordinis eiulatus, & luctus repente exortus eſt, vt vel ferrea pectora con

uelle-

uelleret, atque effoderet. Ea die neque taberna vſpiam apertæ, neque ius dictum eſt. nihil lugubrius vnquam viſum eſt, quam tunc fuit, clerus omnes populuſque Mediolanenſis. ſolem huic ciuitati, in perpetuum, occidiſſe dixiſſe. Funebre ſacrum fecit, magna cæremonia, ampliſſimus, atque optimus Cardinalis Cremonę. Interfuerunt Epiſcopi Vigleuani, Alexandrię, Caſtri.

Funebrem orationem habuit, ſanè luculentam, & non minus piam quam elegantem, Pater Franciſcus Panicarola. Sepultus eſt in eccleſia Metropolitana, prope gradus, quibus in chorum aſcenditur: cum hoc epitaphio, quod in teſtamento, ipſius manu ſcriptum, vidimus.

Carolus Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis, Archiepiſcopus Mediolani frequentioribus totius cleri, populique Mediolanenſis, ac præcipuè deuoti fœminei ſexus orationibus commendatum ſe eſſe cupiens, hunc ſibi ſepulturæ locum viuens elegit.

Teſtamentum fecerat, anno, quo hæc ciuitas pæſtilentia grauiſſimè laborauit, hęredem inſtituit magnum Xenodochiũ Mediolani inſtrumentum, apparatumq; ſacelli legauit Eccleſiæ Metropolitanæ, Bibliothecã Collegio ordinariorum. obijt anno ætatis x x x x v i j. quo etiam eius pater obierat. & ipſe nõ ſemel rogantibus, ne tam auſterus in ſeipſum eſſet, ſolitus erat reſpõdere, ſe vt familię Borromeæ hominẽ, ſatis ſuperq; iã vixiſſe. quidquid pręterea viueret, ponendũ eſſe in lucro. ex Patre Panicarola, concionante, audiui eum non ſemel dixiſſe, ſe hoc anno moriturum. Patres Capuccini, cum genus mortis audiſſent, eodem ferè modo, inter ipſos, intra paucas horas, & quaſi inter loquendum, mori aſſeruerunt, qui duriſſimam vitam viuunt.

Hęc habui, qua de morte ſanctiſſimi Cardinalis ſanctæ Praxedis, Domini mei clementiſsimi, ſcriberem, quæ licet Illuſtriſſimæ A. V. pro ſingulari ſua erga eum beneuolentia, vel potius pietate, ipſi lachrymabilia, & luctuoſa futura ſint: ſpero tamen, atque etiam confido, ſtudium hoc meum, atque officium, neque ingratum ei fore, neq; iniucũdum. Quod reliqnum eſt Illuſtriſſimam A. V. rogo, vt me tali, ac tanto patrono, vel parente potius orbatum, in fidem, ac clientelam receptũ, gratiæ ſuæ bono dignetur.

Mediolani, ex Archiepiſcopatu, III. idus Nouembris. M. D. LXXXIIII.

Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſimæ. A. V.

Famulus indignus
Io. Boterus.

Eiuſdem.

HIC Borromæus ſitus eſt, quem lurida iuſtam
Ante diem, rupto ſtamine, Parca tulit.
Quis fuerit gemitu viduæ, pueri, atque puellæ,
Ipſaq; templa ſitu, iam propè ſenta, docent.

Aliud.

Borromæus ego, hinc ad ſidera notus Olimpi,
Paſtor eram magni, maximus ipſe gregis.

Aliud.

Hic Borromæus ſitus eſt. ne cætera quæras,
Quærendi finis, nam tibi nullus erit.

Ad P. Panicarolam.

HAud Borromæi vitam, & cæleſtia facta
Aequaſti verbis, Panicarola tuis.
Ecquis enim ſummum digito contingere cælum,
Aut cæli ſtellas enumerare queat?
Sed ſuperaſti ipſos Cicerones, ore rotundo;
Et te ipſum, immenſæ, quod fuit artis opus.

Aliud.

Vis Borromæi innumeras me dicere laudes,
Pandereq; immenſum per mare vella notis.
Non piget. aggrediar, ſi tu monſtraueris ante
Tanti aliquod litus, Panicarola, maris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE